

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and includes some decorative elements, possibly a signature or a small illustration in the center.



**BVLLA S. PIJ PAPÆ V. CONFIRMA-
tionis Erektionis Vniverſitatis Baitenſis Studiorum
Generalium; quæ & eſt Approbatio Bullarum
Summorum Pontificum Pauli
III. & Pij IV.**

DON BARTHOLOME SANCHEZ SOTES, PRESBYTERO, PRIOR
propio del Santuario del Santifſimo Chriſto de la Yedra, y Nueſtra Se-
ñora del Val, extramuros de eſta Ciudad de Baeza, Notario Originario
del Santo Oficio de la Inquiſicion de Cordoba; otro ſi, Secretario del
Clauſtro de la Inſigne Univerſidad Estudios generales del Titulo de la
Santifſima Trinidad de dicha Ciudad de Baeza, doy fe, y verdadero
Testimonio à los Señores, que el preſente vieren, como entre las Bulas,
Reſcriptos Apoſtolicos, y Reales Cedula, que ſe conſervan en el Archi-
vo de dicha Univerſidad, ſe halla una Bula en Pergamino con Sello de
plomo pendiente de cordones de ſeda, concedida por Nueſtro Beatifſi-
mo Padre el Señor San Pio Quinto, dia diez y ſiete de Enero del año
paſſado de mil quinientos ſeſenta y cinco, y primero de ſu Pontificado,
cuya Copia à la letra eſ como ſe ſigue.

**PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.**

Venerabili Fratri Epifcopo Almerienſi, & dilectis filiis Decano Eccleſiæ
Giennenſis, ac Priori domus Sancti Spiritus in Triana Hispalenſis,
ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Hodie emanarunt litteræ
thenoris ſubſequentis.

Pius Epifcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.
Æquum reputamus, & rationi conſonum, ut ea, quæ de Romani Pon-
tificis gratia proceſſerunt, licet, ejus ſuperveniente obitu, litteræ Apoſ-
tolicæ ſuper illis conſectæ non fuerint, ſuum conſequantur effectum. Dudum ſi-
quidem poſtquam felicis recordationis Paulus Papa tertius prædeceſſor noſter
ſibi tunc pro parte quondam Roderici Lopez Clerici Giennenſis Diœceſis utriuf-
que juris Doctoris, & familiaris ſui, expoſito, quod ipſe pia devotione ductus
deſide-

desiderabat in oppido Civitate nuncupato de Baeza dictæ Dioecesis, quod natalibus suis originem dederat, unum Collegium, sub invocatione Sanctæ Trinitatis, & in eo unam Capellam pro Missis celebrandis, nec non duo, vel tria, gymnasia, unum, videlicet, pro infantibus, & pupillis, in lectura, & scriptura, ac doctrina christiana, per unum præceptorem, qui eos docendi curam haberet, erudiendis, & aliud pro pupillis adolescentibus, ac aliis discere volentibus, in quo Grammaticam, & reliquum pro magis eruditis, in quo per unum alium, seu plures præceptores, evangelium, homiliæ, hymni, psalterium, & Beati Pauli Apostoli, ac aliæ Canonice Epistolæ, nec non alij tractatus, & libri Sanctæ Scripturæ legerentur, nec non certas cameras, & mansiones, construi facere, & quod pro præmissis, & ad hujusmodi effectum mancipandis de propriis pecuniis summam mille ducatorum, & ultra, exponere intendebat; ejusdem Roderici in ea parte supplicationibus inclinatus, eidem Roderico, in oppido prædicto, & loco ad id convenienti, & apto, unum Collegium sub dicta invocatione, ac in eo unam Capellam pro Missis celebrandis, nec non unum pro infantibus, & pupillis in lectura, & scriptura, ac doctrina christiana per unum præceptorem, qui eos docendi curam haberet, erudiendis, & aliud pro pupillis, & adolescentibus, ac aliis discere volentibus, in quo grammaticam, ac reliquum gymnasia pro magis eruditis, in quo per alium, seu alios, præceptorem, vel præceptores Evangelium, homiliæ, hymni, Psalterium, ac Beati Pauli Apostoli, & aliæ Canonice Epistolæ, alijque tractatus, & libri Sanctæ Scripturæ dumtaxat legerentur, nec non cameras, & mansiones necessarias construi, & ædificari, faciendi plenam, & liberam, autoritate Apostolica, licentiam concesserat, ac in eisdem gymnasiis duos, aut tres, seu plures, præceptores peritos, cum suo, vel suis repetitoribus, perpetuo deputari, ac illis concedentia stipendia assignari; nec non post ipsius Roderici, & quondam Petri etiam Lopez Canonici, & Archidiaconi de Campos nuncupati, Ecclesiæ Palentinensis in Theologia Magistri, scutiferi de numero participantium, ac etiam Notarij, & familiaris ejusdem prædecessoris, quos prædecessor prædictus, nec non per eos eligendos, & deputandos, & non alios, ad res, & gubernationes Collegij hujusmodi vita eisdem Roderico, & Petro comite administratores constituere, & deputabat, decessum de bienio in bienium per dilectos filios Capitulum, & Canonicos residentes Ecclesiæ Cathedralis Giennensis nuncupatæ ejusdem oppidi Capitulariter congregatos, ac pro tempore deputatum inibi ordinarij loci in spiritualibus Vicarium, duos administratores Presbyteros, qui per hebdomadas in Capella Collegij hujusmodi singulis diebus sabbati Missam de Sanctissima Trinitate, cum commemoratione Beatæ Mariæ Virginis, celebrandi; & redditus ipsius Collegij ad satisfaciendum de stipendiis, tam suis, quam dictorum præceptorum, nec non Collegium hujusmodi in suis structuris, & ædificiis reparandi, & conservandi, præstita per eosdem Administratores cautione idonea de fideliter, & legaliter, exercendo officium suæ administrationis, ac computum fideliter reddendo, curam haberent eligi, & ad nutum dictorum Roderici, & Petri in eventum illorum insuficientiæ, aut male administrationis, Capituli, & Canonicorum, ac Vicarij præfatorum amoveri; & ut scholares Collegij hujusmodi spe aliquod præmium, licet non magnum, consequendi, litteris diligentius operam darent, quod cuicumque scholarum, qui mente addisceret Evangelia, aut psalterium, vel Epistolas ejusdem Beati Pauli, seu alios Sanctæ Scripturæ tractatus, & usque ad finem recita-

recitaret, certum præmium, de quo præceptoribus, & administratoribus prædictis videretur, ac eisdem præceptoribus, & administratoribus pro eorum labore, administratione, & cura, congrua stipendia per Rodericum, & Petrum, & illis vita functis, per Capitulum, Canonicos, & Vicarium præfatos, juxta loci qualitatem, & temporis occurrentis exigentia, ex redditibus Collegij hujusmodi deputari, & assignari, seu administrari, & solutis omnibus in præmissis necessariis, residuum totius redditus ejusdem Collegij pro tempore remanens, pro una, vel duabus, aut pluribus pauperibus puellis maritandis, & dotandis, aut earum dotibus augendis, ejusdem oppidi, seu aliorum tunc expressorum locorum honestis, & bonæ famæ, singulis annis in festo Annuntiationis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis erogari, & distribui; & finito dicto biennio, administratores tunc noviter electi, unà cum Capitulo, & Canonicis, ac Vicario prædictis, computum ab aliis administratoribus recipere, ac in dicta Capella Missam, & alia Divina Officia per eosdem Administratores singulis diebus sabbati celebrare deberent; & mulieres cuiuscumque status, conditionis, & nobilitatis, forent, Cappellam ipsam, sive ad Missam audiendam, sive orandum, sub excommunicationis latæ sententiæ poena, nisi in dicto festo Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis illius anni, in quo ex dictis fructibus aliqua, seu aliquæ, puella, seu puellæ, nuptui traderentur, ingredi nequirent, dicta auctoritate perpetuo statuerat, & ordinaverat: & nihilominus eisdem, & pro tempore existentibus Administratoribus pro directione, constructione, & augmento Collegij hujusmodi, ac illius proventuum distributiones, quæcumque laudabilia, & honesta, ac sacris Canonibus non contraria, statuta, & ordinationes condendi, & condita, prout temporum qualitas exigeret, & eis videretur expedire, reformandi, & immutandi, ac alia de novo edendi, quæ postquam condita, reformata, & immutata, ac edita forent, eo ipso, dicta auctoritate, approbata, & confirmata censerentur, facultatem impartitus fuerat; ac forsitan alias, & alia fecerat, & decreverat per quosdam sub plumbo subdat. Videlicet, pridie Idus Martij Pontificatus sui anno quinto; & insuper idem Prædecessor, cum sibi etiam pro parte dicti Roderici expositum fuisset, quod ipse, ut Collegium hujusmodi melius gubernaretur, & illud per bonum regimen incrementum susciperet, desiderabat ipsius Collegij post suum, & dicti Petri, obitum, non Capitulum, & Canonicos, & Vicarium prædictos, sed tunc in humanis agentes quosdam *JOANNEM de AVILA, Clericum Cordubensis Diæcesis Magistrum in Theologia, & verbi Dei Prædicatorem insignem*, &, qui frater ejus Patruelis existerat, Didacum de Sevilla præceptorem domus Sanctispiritus ejusdem oppidi de Baeza, & post eorum obitum, eos, quos ipsi nominarent, & deinde perpetuis futuris temporibus à nominatis nominandos Administratores esse, administrationemque ipsam, non per lineam, vel successionem hæreditariam, seu quemcumque alium modum, sed per nominationem, ut præfertur, dumtaxat procedere; ipsius Roderici similiter in ea parte supplicationibus inclinatus, ejusdem Collegij post obitum Roderici, & Petri prædictorum, non Capitulum, & Canonicos, ac Vicarium, ut præfertur, sed Joannem, & Didacum præfatos administratores existere, & ipsis Joanne, & Didaco decedentibus, quos ijdem Joannes, & Didacus nominassent, & sic successive in perpetuum, quos nominati tam prima, quam quibusvis aliis vicibus etiam nominassent, ita quod administratio hujusmodi, non per lineam, aut descendantiam, seu quovis alio modo, sed per nominationem hujusmodi,

omninoq

B

dumta-

dumtaxat procedere deberet, per alias suas in forma brevis litteras voluerat & ordinaverat, administrationemque ipsam Capitulo, & Canonicis, ac Vicario prædictis, aliisque quibusvis, aliisque per nominationem eandem succedentibus personis, etiam sub excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ poena interdixerat, prout in singulis litteris præfatis plenius continetur. Et deinde pro parte dilectorum filiorum Roderici de Molina Archidiaconi de Campos nuncupati, & Bernardini de Carlebal in Theologia Magistri, ac Petri Fernandez de Cordoba Canonici dictæ Ecclesiæ Giennensis modernorum administratorum, ac etiam moderni Rectoris Uniuersitatis dicti Collegij piæ memoriæ Pio Papæ IV. etiam prædecessori nostro similiter exposito, quod licentiæ, & litterarum huiusmodi vigore Collegium, & in eo Capella, nec non cameræ, & mansiones huiusmodi constructa, & ædificata, & ibidem Doctores, ac Præceptores, iuxta earundem litterarum continentiam, & tenorem, constituti, & deputati, & scholares, & alij studenti introducti, & litteræ præfatae suum effectum sortitæ fuerant, ac inibi Uniuersitas studij generalis ad Dei laudem, & Reipublicæ communem utilitatem, ac fidei catholicæ exaltationem, adeo viguerat, & vigeat, ut vix alia in partibus illis illam antecelleret, & ad illam tam circum vicinorum, quam aliorum locorum scholares, & alij litteras discere volentes in frequenti numero concurrebant, & ad dictum Collegium, & illius personas manutenendum graves, & fere innumerabiles impensæ eatenus factæ fuerant, & propterea Rodericus de Molina, & Bernardinus, ac Petrus præfati, qui, ut asserant, iuxta dictarum litterarum tenorem, dicti Collegij administratores nominati existebant, utentes facultate sibi per prædictum Fundatorem attributa, ac considerantes mentem dicti Roderici Lopez præcipuam fuisse, ut inibi Sancta Scriptura legeretur, ac animadvertentes innumeros errores, & hæreses, qui illis pestiferis temporibus maximam partem Christianitatis invasserant, & infestaverant, inde potissimum emanasse, quod Grammatici, ac litterarum humanarum solum periti, absque aliis artium, & Philosophiæ, ac Theologiæ fundamentis, mirum in modum ad huiusmodi sanctæ doctrinæ studium, & legendum necessariis, sanctarum Scripturarum lectionem, & expositionem, aggredi temerè ausi erant, & ne huiusmodi malum Collegio prædicto accideret, Rodericus de Molina, & Bernardinus, ac Petrus præfati in eodem Collegio alias Cathedras duas, videlicet, Græcæ linguæ, & Rectoricæ, & alias duas artium & Philosophiæ, ac reliquas duas Theologiæ scholasticæ nuncupatæ, necessario constituendas fore censentes, inhærendo menti testatoris huiusmodi, ac dicta facultate sibi per illum attributa utendo, ut præfertur, & ut eadem mens, quæ, ut verisimile erat, fuit, ut omnia fierent, quæ ad benè legendum sanctam Scripturam essent oportuna, & necessaria, omnium adimplerentur, & dictum Collegium, & illius scholares, ac inibi studenti, ab omni labe hæresis præservarentur, ipsique fidem Catholicam ab eo fortius, & majoribus fundamentis defenderent, duas Græcæ linguæ, & Rectoricæ, duas artium, & Philosophiæ, & alias duas Cathedras Theologiæ ibidem instituerant, & addiderant, ac in eis Rectores idoneos constituerant, & deputaverant; & cum facultates Collegij huiusmodi ad id, & ad alia onera incumbenda supportanda non suppeterent, illud residuum, quod pro puellis maritandis, erogari deberet, in usum earundem de novo institutarum, & additarum Cathedrarum, & in eis legentium converterant, nec propter onera præfata aliquas puellas nuptui tradere potuerant, & in eadem dis-

positio-

positione subjuncto, licet dictum residuum ad hoc plurimum congruisset, ac congruerat, & quo ad maritandas dictas puellas, quæ forsâ duæ, aut tres, quolibet anno ex dicto residuo maritari potuissent, parum esset, nihilominus essent nonnulli oppidorum, & locorum prædictorum probi viri, qui videntes tam utile, & publicum opus ex dicto Collegio provenire, ut ab hujusmodi piis operibus illud non revocaretur, sed studia ipsa in eo per amplius continuarentur, & augmentarentur, sufficientem pecuniarum quantitatem pro maritandis puellis dare se obtulissent, & promississent, & eorum pia devotione, & christiana pietate, aliquæ pauperes puellæ jam nuptui traditæ fuissent, & traderentur, ac ampliores redditus pro manutentione Collegij, & scholarium, ac lectorum, & aliarum illius personarum hujusmodi necessarij existerent, ac dicti moderni administratores, quod superesset ex dictis Cathedris, pro aliis Cathedris, & aliis ad id necessariis erogare intendebant pro parte tam Roderici de Molina, & Bernardini, ac Petri administratorum asserentium fructus, redditus, & proventus dicti Collegij ad mille ducatos auri de Camera annuatim ascendere, & tantundem ipsos indebite percepisse, & residuum, quod pro maritandis dictis puellis relictum erat, in erectionem novarum Cathedrarum hujusmodi modo, & forma præmissis convertendum quinquaginta ducatos similes secundum communem estimationem annis singulis non excedere, quam Rectoris prædictorum eidem Pio prædecessori humiliter supplicato, ut concessioni, statuto, ordinationi, impartitioni, deputationi, & aliis præmissis pro eorum subsistentia firmiori robur Apostolicæ confirmationis adjicere, ac alias in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaretur, idem Pius prædecessor, qui in supremæ dignitatis specula, disponente Domino, constitutus, ad ea libenter intendebat, per quæ litterarum studia, ex quibus divini nominis, & fidei Catholicæ, cultus protenditur, justitia colitur, & tam publica, quam privata res agitur utiliter, omnisque prosperitas humanæ conditionis augetur, ubique florerent, & incrementum susciperent, & illorum Rectoribus, & personis condigna provenirent auxilia, ac illorum prospero, & felici successui cum animarum salute valeret, salubriter provideri, quique prosperum, & felicem successum Collegiorum scholarum quarumlibet, ac illorum Rectorum, & administratorum manutentionem sinceris exoptabat affectibus singularum litterarum, ac institutionis, additionis, constitutionis, & deputationum, ac conversionis, & aliorum præmissorum, & quorumcumque instrumentorum, seu scripturarum desuper forsâ confectarum tenores pro expressis habens, hujusmodi supplicationibus inclinatus sub dat. Videlicet, quinto Idus Novembris Pontificatus sui anno secundo concessionem, statutum, ordinationem, impartitionem, deputationes, interdictum, conversionem, constitutionem, additionem aliarum Cathedrarum, & lectorum, ac singulas litteras prædictas, ac prout ea concernunt omnia, & singula in eis, & forsâ instrumentis, seu scripturis prædictis contenta, & inde sequuta, quæcumque licita tamen, & honesta, autoritate Apostolica approbavit, & confirmavit, ac illis perpetuæ firmitatis robur adjecit, illaque omnia perpetuò, & inviolabiliter observari debere decrevit, supplens omnes, & singulos, juris, & facti defectus, si qui forsâ intervenissent in eisdem; nec non ipsi Rectori jurisdictionem in dictæ Universitatis scholares, & alios ipsius Universitatis ministros tam civiliter, quam criminaliter exercendi, ipsumque Rectorem, scholares, & ministros more aliarum Universitatum à quacumque ju-
,, ridic-

„ iſdictione tam ſpiritali , quam temporalis , exempt , ipſosque ſic exemptos
„ exemptionibus , prærogativis , antelationibus , favoribus , conſeſionibus , &
„ indultis , quibus aliæ Univerſitates ſtudiorum generalium illarum partium ute-
„ bantur , & potiebantur , ac gaudebant , ac uti , potiri , & gaudere poterant
„ quomodolibet in futurum , *non ſolum ad earum inſtar , ſed æque , pariformi-*
„ *ter , ac principaliter in omnibus* , & per omnia uti , potiri , & gaudere libere , &
„ licitè valerent ; nec deſuper à quocumque moleſtari poſſent , ſeu deberent , ſic
„ que per quoscumque Iudices , & Comiſſarios , etiam cauſarum Palatii Apoſ-
„ tolici Auditores , ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales , ſublata eis , & eo-
„ rum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate , iudicari debere ; ac quidquid
„ ſecus ſuper his à quoquam quavis autoritate ſcienter , vel ignoranter , contin-
„ geret attentari , irritum , & inane decrevit , ac ut in Capella prædicta Sanctiſ-
„ ſimum Eucharistiæ Sacramentum in loco decenti die , noctuque retineri , illud
„ que inibi quibuſvis perſonis dicti Collegij illud ſumere volentibus , libere ad-
„ miniſtrari valeret , indulſit , non obſtantibus præmiſſis , ac Apoſtolicis , nec
„ non in Provincialibus , & Synodalibus Conciliis editis , generalibus , vel ſpe-
„ cialibus conſtitutionibus , & ordinationibus , ac omnibus illis , quæ in ſingulis
„ litteris prædictis conſeſſa erant , non obſtare , cæteriſque contrariis quibuſcum-
„ que . Ne autem de approbatione , confirmatione , additione , decretis , ſup-
„ plemento , exemptione , & indulto prædictis , pro eo quod ſuper illis ipſius Pij
„ prædeceſſoris , ejus ſuperveniente obitu , litteræ conſeſtæ non fuerint , valeat
„ quomodolibet hæſitari , ac Rodericus de Molina , & Bernardinus , nec non
„ Petrus , tunc moderni adminiſtratores præfati illorum fruſtrentur effectu , vo-
„ lumus , & ſimiliter autoritate Apoſtolica decernimus , quod approbatio ,
„ confirmatio , adjectio , decreta , ſuppletio , exemptio , & indultum Pij præ-
„ deceſſoris huiusmodi perinde à dicta die quinto Idus Novembris ſuum fortian-
„ tur effectum , ac ſi ſuper illis ipſius Pij prædeceſſoris litteræ ſub ejuſdem diei
„ dat . Conſeſtæ fuiſſent , prout ſuperius enarratur ; quodque præſentes litteræ
„ ad probandum plene approbationem , confirmationem , adjectionem , decre-
„ ta , ſuppletionem , exemptionem , & indultum Pij prædeceſſoris huiusmodi
„ ubique ſufficiant : nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur .
Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis , & decre-
ti , infringere , vel ei auſu temerario contraire . Si quis autem hoc attentare præ-
ſumpſerit , indignationem Omnipotentis Dei , ac beatorum Petri & Pauli
Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum . Datum Romæ apud Sanctum Petrum
anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingentefimo ſexageſimo quinto ſex-
to decimo Kalendas Februarij Pontificatus noſtri anno primo . Quo circa discre-
tioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus , quatenus : ſs , vel duo , aut unus
veſtrum per vos , vel alium , ſeu alios , præinſertas litteras , & in eis contenta
quæcumque , ubi , & quando opus fuerit , & quoties pro parte Roderici de Mo-
lina , & Bernardini , ac Petri , adminiſtratorum , & Reſtoris prædictorum , vel
alterius eorum fueritis requiſiti ſolemniter publicantes , ſibi que in præmiſſis effi-
caciſ defenſionis præſidio aſſiſtentes , faciatis autoritate noſtra præinſertas litte-
ras , & in eis contenta huiusmodi plenum effectuſ fortiri , eiſque omnes & ſingu-
los , quos ipſe litteræ quomodolibet concernunt , & in futurum concernere pote-
runt , pacificè frui , & gaudere , non permittentes eos , aut eorum aliquem contra
earumdem litterarum tenorem , quomodolibet indebitè moleſtari , contradictores
quosli-

quoslibet, & rebelles, per sententias, censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris remedia, appellatione postposita, compescendo, ac litium super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, quoties opus fuerit, aggravando, & interdictum Ecclesiasticum imponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, non obstantibus recolendæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. similiter prædecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam Civitatem, vel Dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ Dioecesis ad iudicium evocetur; seu ne Judices à Sede Apostolica deputati extra Civitatem, vel Dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alij, vel aliis, vices suas committere audeant, vel præsumant, & de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo ultra tres dietas quis vigore præsentium ad iudicium non trahatur, & aliis Apostolicis Constitutionibus, nec non omnibus suprascriptis, Aut si aliquibus communiter, vel divisim, ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, sexto decimo Kalendas Februarij, Pontificatus nostri anno primo. = Xxf. A. Mileti. = Jo. Bap. Fauchier. = P. Salernus. = N. de Cerionib. = P. J. Costa. = Zec. de Toral. = C. de Gregnis. = Locus Plumbi.

Concuerta fiel, y legalmente con su original, à que me refiero, el que queda en el dicho Archivo: y para que conste donde conenga, de mandato de los Señores Rector, Patronos, y Claustro de dicha Universidad, doy el presente, que signo, y firmo en dicha Ciudad de Baeza, à Diez..... dias del mes de Junio..... de mil setecientos setenta y quatro años

Testem. In Verdad.

Dr. Bar. Sanchez

Solemn. rat.

